



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

60. Nellvs Confessarius aduertit Othonem bonâ fide confessum se inualidè absoluisse, ei tamen hoc non tenetur significare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

peccauerit, necesse est, cum grauiter contra eam deliquerit.

Resp. 2. Eum, qui percussit Narsetem ignorans, esse Clericum, non incurrisse vllam Censuram. Ita Barbosa in *Collectanea juris Pontificij ad Cap. Si quis suadente. n. 50.* Vbi ex communi DD. docet, Canonis Censuram non incurri ab eo, qui percussit Clericum probabiliter ignorans esse Clericum; quomodo autem in proposito percutiens sub tam turpi larua & vestitu latere Clericum conijcere potuit?

Atque ex his patet ad argumenta in contrarium. Esto enim scandalum non fuerit secutum, ipsa tamen actio ex se ita turpis est, vt vehementer dedeceat Clericum, & scandalum facile parere possit, quæ enim modestia & decor in Clerico personato cogitari amplius potest?

LX. *Nellus Sacerdos confessionem excipit Othonis, & sciens postea, se bonâ fide confessum invalide absoluisse, licet grauia attulerit peccata, vehementer angitur, qui errorem suum emendet. Queritur. Quid faciat?*

Videtur Nellus teneri monere Othonem de errore suo, nisi fortè Otho rursus confiteatur, & adhortando induci facile possit ad dolorem omnium peccatorum præteritorum; aut nisi Nello graue ex hac admonitione malum resultet. Ita Suarez, Vasquez, Coninck,

Granadus, Card. Lugo *de pæn.* D. 22. à n. 51.  
 Dicastillo D. 10. n. 500. Arriaga D. 44. n. 11.  
 & plurimi alij, quos refert & sequitur Diana  
 P. 2. Tr. 15. Res. 6. & P. 11. Tr. 4. Resol. 9. Mo-  
 uentur, Tum quia priuatio gratiæ alioquin  
 non conferendæ est graue damnum, Ergo de-  
 bet pœnitens moneri, ne illud patiat, sed  
 eam gratiam recipiat per alteram validam  
 absolutionem. Tum quia ille, qui est alteri  
 causa violandi graue aliquod præceptum, te-  
 netur illi auferre ignorantiam, vt legem Dei  
 seruare possit, v. g. qui dixit alteri: *non tene-  
 ris audire sacrum die festo &c.* debet eum postea  
 de obligatione audiendi monere. Ergo à parti-  
 Nellus debet monere Othonem, vt postea  
 seruet præceptum, ea peccata confitendi, si-  
 quidem illa adhuc non sunt validè subiecta  
 clauibus Ecclesiæ &c.

Resp. Nellus Confessarius in præsentia  
 su non tenetur ad aliquid significandum O-  
 thoni, sed sufficit eum satisfacere Deo pro  
 peccato commisso, nisi Otho pœnitens in tali  
 statu esset, in quo probabiliter non putaretur  
 vlla peccata confessurus. Ita D. Antoninus,  
 Syluester & Nauarrus apud Suarez D. 32. s. 6.  
 n. 5. quibus Lugo lo. cit. addit Ioannem Va-  
 lerum, & Diana Resol. 9. *itid. cit.* Ioannem  
 Pontium *in curs. Theol.* D. 46. q. 11. *concl.* 6.  
 n. 149. Probat. Tum quia, etsi Otho non  
 sit verè absolutus & iustificatus, nisi habue-

rit contritionem, attamen cum bonâ fide procedat, per proximam confessionem ponetur in statum gratiæ, non obstante priori defectu, siquidem tunc malè confessa condonabuntur indirectè postea virtute alterius confessionis sequentis. Tum quia perarduū est, Confessarium sese infamare debere, dicendo, malè se absoluisse. Tum quia Nullus Confessarius vix aliud facere potest, quàm dolere de commissa culpa, & Othonem in bona fide relinquere. Nam non potest absolvere absentem post Clementis VIII. declarationem; nec presentem & inscium, poterit enim interea temporis peccasse mortaliter: nec facile monere propter errorē commissum absq; periculo sigilli, quippe dicere: *confitere mihi iterum, etenim non habui jurisdictionem te absoluedi* idem est, ac dicere: *tu habuisti casum reservatū, &c.*

*Ad 1. in contrarium* dicimus, hanc iacturam non esse tanti faciendam, cum mille alijs modis reparari possit, vt ipse fatetur Lugo n. 56.

*Ad 2.* Distinguiamus antecedens, & concedimus, si periculum sit, sæpius similia peccata committendi: secus, negamus; in casu autem ignorantia de obligatione audiendæ missæ subesset tale periculum: minimè verd in casu confessionis inualidè propter defectū jurisdictionis in Sacerdote.

LXI. *Nereus à longo iam tempore malè affectus erga Achilleum Clericum nuper obviam habuit Achillem itidem Clericum & Achilleo persimilem,*

V;

lem,